



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 2. Solvuntur opposita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

duobus consistit; in hoc nempe, quod offendens Deum voluntariè se avertit à Deo summo bono, & in hoc, quod se convertat ad bonum creatum, & imperfectum, ut habetur Jeremiæ 2. *duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aque vive, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Unde

392. Fit 3. Pœnam æternam consistere in malo, quo damnati coguntur æqualiter dolere de his duobus malis, nempe de averfione Dei, & conversione ad creaturas; unde damnati per pœnam æternam damni, qua privantur Deo, ut beatificante, coguntur dolere æqualiter de malo averfionis à DEO summo bono, & per pœnam sensûs, quam patiuntur ab igne, vel aliâ creaturâ torquente, coguntur dolere æqualiter de malo conversionis ad creaturam, & bonum creatum; idcirco Apocalipsis 18. dicitur, *quantum se glorificavit, & in delictis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum;* atque in eo consistit, ut pœna æterna sit æqualis culpæ, reddâtque damnatos tantum in æternum miseros, quantum in æternum sunt mali per culpam; quamobrem licet eadem materialiter pœna censeatur major; si inferatur digniori, & minor, si inferatur minùs digno, utrumque tamen puniet ad æqualitatem; nam si inferatur digniori, ideo est major, quia debet causare majorem dolorem; si inferatur minùs digno, ideo est minor, quia debet causare minorem dolorem, semper tamen commensuratur culpæ, quatenus cogit unum quemque tantum dolere, quantum est malus; & in hac proportione, quæ reverâ est possibilis, consistit æqualitas pœnæ, nec refert, quod offensa sit in linea superiori ad lineam pœnæ; quia, cum pœna ex ipsa ratione pœnæ se habeat, non quidem, ut pretium æquale, sed ut medium ad deterrendum homines, atque ad avertendum à tanto malo, ex ipsa ratione pœnæ habet, quod non requirat aliam proportionem, ut sit æqualis, nisi ea, quæ sufficit ad rationem mediî; medium autem est in linea inferiori ad finem, ideòque pœna est in linea inferiori ad offensam, ex dictis à n. 38 r. idcirco ad æqualitatem compensationis in pœna neutriquam requiritur æqualitas lineæ. Unde

393. Fit 4. Magnum esse discrimen inter satisfactionem, & satisfationem. Ratio est, quia satisfactio puræ creaturæ ideo non potest esse æqualis offensæ; quia in ratione satisfationis decrescit ex iisdem capitibus, ex quibus crescit offensa in ratione offensæ, ut à num. 278. at miseria; seu malum illativum doloris non decrescit ex iisdem capitibus, ex quibus crescit offensa; nam miseria consistens in privatione Dei, & combustione, non ideo est minor, quia Deus, quo privamur, sit infinitus, & quia nos, qui privamur Deo, infinite distamus à Deo; & infinite indigemus DEO; quod idem proportionaliter apparet in combustione; unde assignari potest æqualis satisfactio pro peccatis lethalibus; atque exinde cognoscitur, quantum debeamus Christo Domino,

qui, quod nos nullo modo poteramus efficere propter nostram imbecillitatem, ille dignatus est facere pro nobis sua infinita dignitate latissimè satisfaciendo ad æqualitatem pro nostris peccatis, ut infra constabit.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

Objicies 1. contra primam assertionem: In comparatione, & satisfactione injurarum non attenditur ad dignitatem, aut indignitatem obsequentis, vel injuriantis, sed ad quantitatem in læsione, ut tradit Philosophus 5. Ethicor. cap. 4. ergo & respectu Dei nihil conducet major, vel minor dignitas satisfaciens ad majorem valorem operis satisfactoris, proindeque neque conducet tota dignitas personæ Christi ad valorandam satisfactionem pro nobis. Respondeo dist. antec. sumprâ injuriâ ex parte objecti solum, conc. ex parte objecti, & ex parte actûs, nego antec. & consequentiam ex dicto num. 288. ibi enim agit Philosophus de justitia commutativa; considerata præcisè injuria reali, quæ solum respicit injurias objective sumptas, earumque compensationes in ratione injuriæ, & lucri: at verò, quando injuria accipitur ex parte actûs, sive affectivè, quæ vocatur injuria personalis, sive offensa attenditur ad inhonorationem, & justitiam legalem, pro cujus compensatione plurimum conducit dignitas obsequentis, sicque majus obsequium faciet Rex salurans vasallum, quam vasallus salurans Regem.

Objicies 2. Obsequium ed est minoris valoris, quod est magis obligatus ad obsequendum, qui illud exhibet; cum sit minùs suum, quod dat, magisque pertinens ad accipientem: sed quod major est dignitas obsequentis, cum illam acceperit à Deo, est major obligatio exhibendi obsequium ipsi Deo; ergo &c. Respondeo dist. maj. si major obligatio instituta sit in utilitatem obsequentis, nego, si non sit ita instituta, conc. maj. & distincta min. nego consequentiam, quia omnis supernaturalis nostra obligatio respectu Dei est instituta ad nostram utilitatem, ideòque crescente obligatione, crescit utilitas; sic actus charitatis, qui inter omnes nostras operationes maximè est debitus Deo propter maximam ipsius dignitatem, ut amerur, est maximè meritorius, & satisfactorius cæteris partibus; secus venit in obligatione obsequendi creaturis, quæ cum non sit instituta in favorem obligati, sed creditoris, ea solum major dignitas obsequentis auget valorem meritorium cæteris partibus, quæ magis eum removeret ab obligatione obsequendi.

Objicies 3. ut sæpe dicitur in Scriptura: non est acceptio personarum apud Deum; acquiritur Deus, ut præmiaret opera, non solum attenderet ad præcisam operis bonitatem, sed etiam

ad dignitatem personæ, esset acceptio personarum apud DEUM: ergo &c. Probatum min. esse personam magis dignam apud DEUM, nihil aliud est, quam esse magis gratam Deo, vel habere gratiam saltem adoptionis: atqui si Deus, ut condignè præmiaret opera, non solum attenderet bonitatem operis, sed etiam qualitatem operis sibi magis grati, vel quod saltem haberet gratiam adoptionis, esset acceptio personarum apud Deum: ergo &c. Respondeo dist. maj. non est apud Deum acceptio personarum vitiosa, conc. prudens, nego maj. & distincta min. nego conseq. ad probationem dist. eodem modo min. & nego conseq. quia acceptio apud Deum vitiosa esset, si Deus ob majorem dignitatem temporalem majus præmium assignaret operibus justis, cum hæc non sit dignitas conduens ad vitam æternam; imò dona superna communia justis, & peccatoribus non augent valorem operis in genere causæ formalis coram DEO; sola enim gratia sanctificans est dignitas conferens valorem, ut forma meriti: nam ut ait Tridentinum sess. 6. cap. 7. ea sola est unica formalis causa nostræ justificationis, & cap. 16. id ipsum de merito docet, ut constat ex num. 386. & 389. Unde hæc acceptio personarum apud Deum non est vitiosa, sed prudens.

397. Objicies 4. contra secundam assertionem: sicut valor monetæ pender à libera Principis voluntate, potente quidem illum constituere modò magnum, modò infimum; ita valor bonorum operum pender à libera Dei voluntate potente illi taxare pretium modò magnum, modò infimum, imò & nullum: ergo neque ratione sui, neque ratione dignitatis personæ habent majorem valorem meritum, & satisfactio Christi. Confirmatur. Omnia nostra bona superna existunt in nobis ex Dei misericordia, & donatione; ergo potest illa Deus exigere absque ulla retributione, ac proinde ex sola promissione, & lege Dei valoranda sunt. In primis hæc argumentatio non probat intentum; nam sicut per vos ex lege Dei assignat Deus prudenter præmia operi spectata ipsius operis bonitate; ita etiam prudenter posset designare præmium attenda dignitate operantis. Deinde

398. Respondeo nego antec. quia sicut causa physica necessariò inducit suum effectum physicè prævia divina voluntate cooperandi; ita merita inducunt præmiū ut causa moralis prævia voluntate divina promittente; imò si talis determinata virtus, & connexio cum effectu non inesset intrinsicè aut causalis physicis, aut meritis, sed omnia penderent à sola arbitraria, & pura libera designatione divinæ voluntatis, nihil differret causa sive physica, sive meritoria à pura conditione sine qua non, nullumque esset discrimen meriti de congruo, & de condigno, quæ absurda sunt: nec exemplum monetæ venit ad rem: Princeps enim non cognoscit valorem intrinsicè monetæ arithmetice consideratum in ordine ad respectus intentos à Republica.

R. P. Gormaz Theolog. Tom. II.

blica, ideòque dum non excedat judicium prudens, potest modò majorem, modò minorem valorem illi taxare ex pacto inito cum Republica; si tamen Princeps certò excederet valorem intrinsicè monetæ; teneretur ad restitutionem, si non posset accipere illum excessum ratione tributi; Deus autem non ignorat valorem intrinsicè meritorum secundum vim illorum intrinsicè conducentem ad vitam æternam, qui est respectus ad illorum præmium considerandus. Ad Confirmationem conc. antec. & dist. conseq. quoad primam partem, absque ulla retributione, ut se accommodans valori rerum, nego, de potentia absoluta ex supremo suo dominio, conc. conseq. quoad primam, & nego quoad secundam partem; quia hoc non tollit intrinsicè valorem meriti, sicut non tollit exigentiam ignis, licet Deus privet illum calore de potentia absoluta.

399. Objicies 5. Si major dignitas operantis redderet majorem valorem operis meritorii, aut satisfactorii, daretur processus in infinitum inter unumquodque meritum, & ejus præmium augentia se invicem sine fine: sed hoc est absurdum: ergo &c. Probatum maj. eliciens opus aliquod meritorium, per gratiam receptam in ejus præmium redderetur dignior, quam antea esset: ergo si ex majore dignitate operantis cresceret valor meriti, deberet propter idem opus nova dignitate auctum, conferri novum præmium, quo rursus cresceret magis dignitas operantis, & sic proportionatè sine fine: ergo &c. Hoc argumentum tangit difficultatem ad Tractatum de gratia pertinentem, in qua quaeritur, an gratia justificans duntaxat dignificet meritum, prout assert justò filiationem Dei, sive prout elevat illum ad statum filiorum, vel etiam dignificet secundum majorem gratiæ intensiorem, & sic augeat meritum. Si major intensio non augeat meritum, ut infra dicemus, nulla est vis argumenti. Cæterum, quia argumentum nihil probat, pro nunc omitamus, augeri quoque meritum ex majori gratiæ intensiōe. Ideo

400. Respondeo nego maj. ad probationem dist. antec. redderetur dignior per dignitatem exercentem causalitatem in opus, nego, non exercentem, conc. antec. & nego consequentiam; quia illa gratia recepta in præmium, esset jam effectus meriti: unde ea dignitas advenit operanti, postquam meritum exercuit suam causalitatem in ordine ad præmium; dignitas autem operantis nihil meretur, nisi ut impensa in opere meritorio eo in signo, in quo exercetur causalitas meriti, seorsim à præmio in alio signo adveniente, ideòq; secunda dignitas non condignificaret idem præmiū ad ulterius præmium. Totum hoc explicat Card. de Lugo isto exemplo: si propter egregia facinora Rex promitteret Equiti Marchionatum, si victoriam obtineat, & Marchioni Ducatum, licet Eques mereretur per victoriam Marchionatū, non mereretur propter illum Ducatum; quia Marchionis dignitas fuit effectus,

effectus, & non dignitas impensa in laboribus ad obtinendam victoriam in ordine ad præmium promissum. Videatur Lugo disp. 6. num.

401. ⁴⁴ Objic. 6. Major dignitas remuneratoris non auget valorem præmij, aliter Deus largitione rei quantumvis exigua compensaret superabundanter quælibet merita: ergo nec major dignitas obsequentis auget valorem obsequij meritorij, seu satisfactorij. Respondeo conc. antec. & nego conseq. Ratio est, quia remuneratio facta propter meritum respicit utilitatem merentis, cujus utilitatis mensura est id, quod accipitur, & non dignitas conferentis. Obsequium verò conducit ad gloriam illius, cui fit obsequium, & ad hoc plurimum conducit dignitas obsequentis, ut supra diximus; imò DEUS in præmiando solam gratiam suam sibi querere potest ex obsequio: creatura verò respicit sibi in obsequendo etiam suam utilitatem.

402. Objicies 7. Satisfactio in Purgatorio substituitur pœnæ; sed pœna non accipit majorem dignitatem ex dignitate patientis: ergo neque satisfactio accipiet majorem dignitatem ex majore dignitate satisfaciens. Respondet Cardinalis de Lugo disp. 6. de Incarnat. num. 67. & disp. 26. neg. min. quo ruit totum argumentum. Cæterum, si bene expendatur, non est in forma, cum non inferatur ea conclusio, quæ ibi deducitur, sed potius ista: ergo neque satisfactio accipit majorem dignitatem ex majore dignitate satisfaciens. Unde in forma respondeo dist. maj. substituitur in aliquibus, conc. in omnibus, nego maj. & conc. min. nego consequentiam; quia patientes in Purgatorio merè passivè se habent respectu pœnæ, ac proinde eorum dignitas nullâ in ea re causalitatem exercet: at verò ex propria electione in opere satisfactorio, quod, si meritorium sit, erit satisfactio, & meritum, & satisfactio exerceret propriam causalitatem; ac proinde condignificat tale opus satisfactoris, & satisfactoris, licet non condignificet pœnam: unde satisfactio non substituitur, quantum ad hoc, pœnæ, & puræ satisfactoris, vide num. 393.

403. Objicies 8. In Sacris Literis solum promittitur retributio attenda operis bonitate: Sic Paulus ait, *qui reddet unicuique secundum opera ejus*: ergo dignitas personæ nihil conducit ad quantitatem retributionis, ac proinde neque ad valorem operis satisfactorij. Respondeo dist. antec. attenda bonitate operis nudè sumpti, nego, operis dignificati, conc. antec. & nego consequentiam; quia sine hac condignificatione, in qua consistit dignitas personæ in pura creatura, nullo pacto Deo grata sunt, aut meritoria de condigno opera nostra, ut ait Tridentinum citatum num. 896. & constat ex Pio V. & Gregorio XIII. citatis num. 389. ac proinde dignitas personæ nequit non deservire ad retributionem. Unde nomine operum, ut clarè demonstrat Concilium Tridentinum, comprehendun-

tur in Scriptura omnes circumstantiæ operantes, & non purè materialiter, ac concomitantè se habentes.

Objicies 9. Vilitas in peccatore inducta per primum peccatum furti non auget malitiam subsequenti peccati intemperantiæ; ergo neque dignitas accepta per obsequium actus justitiæ auget bonitatem subsequenti obsequij temperantiæ. Hoc argumentum nihil probat contra nos, qui, ut constabit à num. 410. docemus, gratiam habitualement non condignificare meritum secundum illius augmentum, sed secundum rationem, qua hominem constituit in statu altiori supra illos, qui Dei filiationem non habent, ita, ut in eo statu augmentum meriti proveniat ab augmento valoris, qui reperitur in operibus. Cæterum supponendo pronunciam primam illorum Theologorum sententiam, quam supposuimus, & promissimus num. 399. retorqueo primò argumentum, vilitas inducta per peccatum furti non est superna: ergo neque dignitas accepta per obsequium temperantiæ est superna. Secundò vilitas peccati furti nequit impendi in obsequio DEI: ergo neque dignitas obsequij temperantiæ poterit impendi in obsequio Dei. Respondeo deinde conc. antec. de vilitate non se habente per modum obiecti, ut optimè notat Cardinalis de Lugo dispur. 6. de Incarnat. num. 63. & nego consequentiam.

Ratio est, quia solum illa vilitas augere potest peccatum, quæ inducit obligationem ad obsequendum, cujusque causalitas impendi potest in obsequio, in quo non impenditur peccatum; sicut ea dignitas auget meritum, quæ obligata est, cujusque causalitas impendi potest in merito, in quo impenditur per aliud obsequium; cum autem peccatum, utpote a-versio à DEO, neque illius causalitas impendi potest in obsequio Dei, exinde vilitas inducta per peccatum primum furti non auget malitiam subsequenti peccati intemperantiæ, licet dignitas accepta per obsequium justitiæ auget bonitatem subsequenti obsequij temperantiæ. Sic conditio vasalli auget injuriam contra Regem; quia obligata est, ejusque causalitas impendi potest in obsequio Regis, cum sit instituta in Regni utilitatem. At vilitas in vasallo inducta per injuriam, & contemptum, quo ab aliis hominibus inhonoratur, non auget injuriam contra Regem, quia hæc neque obligata est, neque ejus causalitas potest impendi in obsequio Regis.

Objicies 10. contra tertiam assertionem: est suppositio, quòd personalitas Verbi non esset sanctitas humanitatis, esset compossibilis cum peccato; sed humanitas composita cum peccato, utpote Deo, invisibilis non eliceret operationes summæ æstimationis apud Deum: ergo si personalitas Verbi non esset sanctitas humanitatis non posset ratione sui dignificare opera humanitatis. Confirmatur. Opera puri hominis ex Tridentino supra citato sess. 6. cap. 16. non sunt

sunt DEO grata, seu condigna absque forma sanctificante; ergo si personalitas Verbi non sit sanctitas, non condignificabit apud Deum opera Christi Domini. Resp. nego majorem, quia personalitas ratione sui separari nequit à natura divina, secum ipsa identificata; & è converso: cum autem natura divina componi nequeat cum peccato, neque valebit conjungi personalitas, quin potius supposito Adversariorum non pugnat contra nos, qui docemus ipsam personalitatem esse ratione sui sanctitatem humanitatis, ut infra suo loco dicemus.

Ad Confirmationem nego conseq. quia personalitas independenter ab alia ratione formali sanctitatis est in se sanctitas, & humanitatem sanctificat, ut diximus numero superiori. Cæterum dato, & non concesso, quod non sit sanctitas humanitatis adhuc filiatio naturalis DEI, ac proinde summæ æstimabilitatis apud Deum, & multò magis quam filiatio adoptiva; at verò purus homo, nec identificatur cum natura divina, nec est filius naturalis Dei, nec adhuc adoptivus independenter à gratia sanctificante, ac proinde sine illa non est in statu æstimabilitatis requisito ad merendum de condigno dona superna apud Deum; unde licet opera puri hominis independenter à gratia sanctificante Deo grata seu condigna gloriæ non sint, opera Christi Domini independenter à gratia accidentali erunt Deo gratissima ratione divinæ personalitatis: difficultas tamen est in explicando quomodo specialis ille valor derivetur in opera Christi Domini ratione suæ dignitatis, pro cuius decisione sit.

SECTIO III.

Quomodo ex dignitate Verbi derivetur specialis valor in merita Christi?

Suppono 1. Concretum aliud esse physicum, quod scilicet resultat ex partibus physicè unitis, ut album ex subjecto, & albedine unitis physicè, aliud autem esse morale constans ex extremis solùm moraliter unitis, ut concretum cognitum, quod resultat ex objecto, & cognitione, videlicet, quando cognosco parietem, cognitio illa non quidem physicè, sed solùm moraliter, & purè intentionaliter unitur parieti, sicque ex pariete & cognitione moraliter tamen unitis resultat istud concretum cognitum. Meritum autem non imitatur genus concreti physici, sed concreti morali; nam ut constat à num. 386. & 389. resultat ex entitate operis tanquam ex subjecto, & ex dignitate principii elicientis tanquam ex forma, quæ duo non uniuntur physicè, sed tantùm moraliter: sic opus Regium dignificatur à dignitate Regia ipsi moraliter duntaxat unita, & opus iusti dignificatur à gratia habituali, & hæc est condignificati-

R. P. Gormaz. Theolog. Tom. II.

va operis meritorii, quæ quidem gratia habitualis hominis iusti non unitur physicè, sed tantùm moraliter cum opere elicito à iusto.

Suppono 2. unionem esse determinationem, qua extremum se habens veluti forma absque unione physica determinat alterum, quod se habet veluti objectum seu subjectum; sic determinatio, qua cognitio denominat parietem cognitum, est unio moralis parietis cum cognitione, idem esto de determinatione, qua gratia habitualis dignificat opera iusti; & dignitas Regia Regis. Hæc autem determinatio dependet ab extremis, pluribusque requisitis, quæ secundùm qualitatem extremorum necessariò concurrunt, neque est quæstio in præsentibus de merito Christi desumpto ex gratia habituali, sed de speciali valore desumpto ex dignitate Personæ Verbi; etenim inter dignitatem Verbi dignificantem opus meritorium Christi, & inter gratiam habitualement dignificantem merita nostra est infinitum discrimen, quale est inter Deum, & creaturam; quandoquidem gratia habitualis est res creata, & dignitas Verbi est ipsa persona divina, ex quo infinito discrimine facilè intelligitur, quomodo gratia habitualis limitatè concurrat ad dignificandum meritum, & quomodo dignitas Verbi concurrat illimitatè.

Dignitas non creata de condigno valorativa operis ad præmium coram Deo eatenus concurrat, quatenus iustum reddit Filium DEI. Ab hac equidem filiatione habetur, quòd sic hæres gloriæ, ac proinde, quòd de condigno mereatur apud DEUM præmium vitæ æternæ, juxta illud Pauli ad Rom. 16. si autem filii, & hæredes, hæredes quidem DEI, cohæredes autem Christi: unde cum unicus gradus habitualis gratiæ necessarius sit, & sufficiens ad constituendum iustum Filium Dei adoptivum, nec in illa linea adoptionis unus Filius potest esse magis Filius, quàm alius, licet possit esse majoris perfectionis, sicut in linea naturali non potest esse magis Filius naturalis, quàm alius, licet possit esse magis perfectus, exinde gratia habitualis per unicum duntaxat gradum concurrat essentialiter ad condignificandum opera iusti, & per reliquos gradus tantùm concurrat accidentaliter, seu materialiter; ad eum quippe modum proportionè servata, quo se habet potentia obedientialis magis vel minus perfecta in ordine ad eliciendos actus supernaturales, ut dixi in tractatu de beatitudine & actibus humanis à num. 426. idcirco licet unus iustus gratia purè habituali sanctificatus possit esse magis Sanctus, magisque Deo dilectus, quàm alter, non potest esse magis Filius adoptivus, quàm alter. Sic Pontifex creans duos Cardinales potest intensiori voluntate efficaci, & dilectione assumere ad Cardinalatum unum, quàm alterum, quo in casu, licet unus sit magis dilectus, quàm alter, non tamen erit magis Cardinalis, quàm alter: quod idem apparet in electoribus Regum,